MAILLOUX

In quonam medio Deus cognoscit futura contingentia libera

IN QUONAM MEDIO DEUS COGNOSCIT FUTURA CONTINGENTIA LIBERA IUXTA FERRARIENSEM?

In primis notandum est quod ante Molinam istud problema de praescientia divina circa futura non eodem modo ponitur quo deinceps. Illo tempore totum problema de cognitione divina circa obiectum secundarium scientiae Dei versatur: in generali, utrum Deus cognoscat singularia; in particulari — propter difficultatem specialem — utrum Deus cognoscat futura et motus voluntatis. Ideoque a Sancto Thoma in libro primo, *Contra Gentiles*, cap. 63 exponuntur « rationes volentium substrahere Deo cognitionem singularium ». Et in Commentario Ferrariensis legimus: « Postquam determinavit Sanctus Thomas de cognitione divina quantum ad obiectum in communi, nunc ad cognitionem ipsius circa particularia accedit. Circa hoc autem tria facit; primo enim adducit rationes volentium probare quod Deus singularia non cognoscat;... etc. ». Ex istis tertia est de futuris singularibus, quae sic exprimitur « De futuris contingentibus cognitio certa esse non potest: cum oppositum eius quod cognitione tenetur, evenire possit. Scientia autem Dei certa est et infallibilis. Ergo non potest de illis esse ». Adversarii igitur futura contingentia, propter illorum variabilitatem, esse obiecta scientiae infallibilis divinae negabant. Unde apparet quod tota difficultas, non tantummodo in determinando medio cognitionis divinae, sed in conciliatione certitudinis scientiae divinae cum futurorum mutabilitate, consistit. Consequenter tempore Ferrariensis problema praescientiae infallibilis Dei maiorem extensionem habet quam tempore sequente Molinam. Haec differentia autem est maximi momenti ad bene interpretandam doctrinam scholasticorum post Sanctum Thomam et ante Molinam. Cum Ferrariensis contra adversarios sui temporis scripserit, non de-

bemus exigere quod quaestio ab illo sicut hodie tractetur i. e. exponendo longe et operose medium in quo Deus futura infallibiliter cognoscat. Sufficit enim Ferrariensem de isto medio cognitionis divinae aliquid clare docuisse. Quid circa hoc ab eo docetur? *Nihil aliud quam sententia hodierna Thomistica: scilicet medium in quo Deus certitudinaliter cognoscit futura est* **suum decretum infallibile.** Sed ante expositionem huiusce doctrinae oportet de scientia Dei et de contingentia rerum iuxta Ferrariensem breviter disserere.

***

Scientia Dei, secundum illum, est duplex: « Ea quae nec sunt nec erunt nec fuerunt, aliter cognoscuntur quam ea quae sunt praesentia vel praeterita vel futura. Illa enim cognoscuntur non in seipsis, sed ut exsistentia in divina potentia: et dicuntur cognosci notitia *simplicis intelligentiae.* Ista vero cognoscuntur ut exsistentia in potentia sua, in propriis causis, et in seipsis: et dicuntur cognosci *notitia visionis* ». Ista autem distinctio non fit ex parte Dei, sed ex parte obiectorum cognitorum: « Quaedam enim sunt a Deo cognita quae pro nulla temporis differentia habent esse: et respectu horum illa notitia dicitur *notitia simplicis intelligentiae,* quia terminatur ad rem et naturam producibilem non coniunctam esse actualis existentiae extra ipsum Deum, sed simpliciter ut in Deo esse habet. Quaedam autem habent aliquando esse: et respectu horum *eadem indivisibilis notitia* dicitur *notitia visionis*, quia a nobis videntur res quando habent esse in seipsis » ([1]). Scientia simplicis intelligentiae versatur circa possibilia; scientia visionis vero fertur ad ea quae sunt, vel fuerunt, vel erunt; addit enim supra scientiam simplicis intelligentiae ordinem ad exsistentiam rerum. Haec celeberrima divisio a Ferrariense sine ulla mentione de aliqua scientia intermedia exposita est, sicut postea divisio adaequata in schola data fuit.

Contingentia rerum: Contingens secundum se est id quod « quantum est ex conditione propriae naturae, potest deficere

([1]) Lib. I, c. 66. Edit Leon. p. 189, XV. Item c. 69, p. 203, XIII.

et non esse ». Effectus contingens autem est « ille qui a causa quae impediri potest natus est procedere; et per consequens, licet quandoque causa sit inclinata ad eius productionem, potest tamen non evenire ». Aliis verbis effectus contingens est « effectus causae impedibilis » ([1]).

Contingentia rerum a causa prima et a causa secunda dependet. « Causa prima, producens effectum *mediante* causa secunda, non in aliqua priori duratione attingit effectum in qua non attingebatur a causa secunda: licet dicatur prius agere, inquantum secunda non agit nisi virtute primae. Unde non oportet ut effectus in aliquo priori instanti habeat necessitatem a prima causa: sed, *simul* productus a causa necessaria et contingente, propter causae secundae contingentiam et ipse contingentiam habet » ([2]). Ex his igitur effectus contingens a causa prima mediante secunda provenit — sed aliter et aliter — scilicet proxime a causa secunda, radicaliter vero a causa prima.

« Habere contingentiam a causa prima dupliciter potest intelligi. Uno modo, quod prima causa sit causa contingentiae rerum. Et sic verum est contingentia habere a causa prima contingentiam: causat enim Deus et res, et necessitatem et contingentiam rerum » ([3]), i. e. eodem modo quo explicatur loco praecedenti: « scientia Dei de rebus contingentibus est causa necessaria », sed « cum eius necessitate stat effectus contingentia, eo quod sit *causa remota*, non autem proxima » ([4]). Et alibi: Non dicitur aliquis contingens in ordine ad voluntatem nostram tamquam ad *primam radicem contingentiae et libertatis, sed in ordine ad sapientiam divinam inquantum sc.* « Deus determinavit aliqua quidem evenire necessario, et istis dedit causas necessarias; alia vera evenire contingenter, et istis dedit causas contingentes » ([5]). Prima radix vel causa remota contingentiae et libertatis est Deus. Sed « alio modo, quod res sint contingentes propter contingentiam et ineffica-

([1]) Lib. I, c. 67, p. 193 n. VI; c. 85, 2, p. 235; Lib. III, c. 94, p. 292.
([2]) Lib. I, c. 67, p. 196, XIV, 2.
([3]) Ibid., p. 196, XIV, 3.
([4]) Ibid. p. 194, VIII, 2.
([5]) Lib. III, c. 89, VII, p. 275.

ciam causae primae, cuius effectus impediri possit. *Et hoc modo res non habent contingentiam a causa prima* » ([1]), sed tantummodo a causa secunda. Etenim causa secunda contingens est illa cuius effectus impediri potest — et hoc provenit ex conditione propriae naturae causae contingentis ut sic sc. propter contingentiam et inefficaciam ipsius naturae causae secundae. Unde secundum Ferrariensem contingens « quod potest non evenire » per respectum ad causam secundam contingentem ut sic — et non ad causam primam sc. ad Deum — proprie dicitur.

Contingens autem potest considerari dupliciter: ut praesens et ut futurum. Ut praesens vel in seipso ei convenit necessitas. « Tanquam iam productus extra suam causam, sic est necessarius: quia iam determinatus est ad esse, et non potest amplius pro illo tempore non esse quo est » ([2]). Alia parte vero pertinet ad contingens *ut futurum* posse non evenire ([3]). « Contingens autem secundum quod est in causa (ut futurum) habet modum contingentiae, quia potest impediri ne producatur ». « In quantum enim virtualiter est in causa et nondum est productus (effectus), sic est contingens, quia ut sic potest esse et non esse » ([4]). Et hoc « pertinet ad contingens ut futurum ».

Futurum autem potest esse absolutum vel conditionatum; absolutum scilicet independens ab aliqua conditione seu a conditione ponenda; conditionatum vero idest dependens a conditione non ponenda. Circa utrumque quaestio de medio in quo infallibilis cognitionis Dei ponitur: sed apud Ferrariensem videtur esse sermo de futuris absolutis sc. de his quae a Deo cognoscuntur « *antequam sint* » ([5]). Quoad futura conditionata vel futuribilia nihil invenitur nisi in Libro III, c. 154 ubi agitur de prophetia comminationis. Cum controversia circa doctrinam Ferrariensis de medio in quo Deus futura cognoscat absoluta versetur, exponere de hac re ipsius doctrinam sufficit.

([1]) Lib. I, c. 67, p. 196, XIV, 3.
([2]) Lib. I, c. 67, VI, p. 193.
([3]) Ibid. II, p. 191.
([4]) Ibid. VI, p. 193.
([5]) Lib. I, c. 67, p. 191, I.

A) — *Doctrina Ferrariensis.*

Id quod ab omnibus thomistis post Bannesium tenetur, etiam ante eum a Ferrariensi vel implicite vel explicite docetur.

I° — IMPLICITE scilicet ex suis principiis generalibus de cognitione et de causalitate divina circa alia a se. Haec principia sunt duo: primum est: Deus cognoscit *alia a se*, non immediate vel in seipsis, sed *mediate*, scilicet *in sua essentia tanquam in causa*; secundum vero sic se habet: *Deus causat* alia a se *per suum decretum infallibile* seu per determinationem suae divinae voluntatis: — Cum haec duo principia sint nihil aliud quam maior et minor syllogismi ex quo thesis thomistica communiter probatur, facile est concludere quod in principiis Ferrariensis doctrina Thomistarum de decreto divino et quidem infallibili ut medio in quo cognitionis divinae contineatur. Primum principium Ferrariensis: quod Deus mediate et non immediate alia a se cognoscat, in multis locis libri primi Summae Contra Gentiles clare enuntiatur. Videamus. « Id quo Deus intelligit nihil est aliud quam divina essentia » (1). Ex hoc sequitur quod Deus nihil aliud quam seipsum solum *primo et per se* cognoscit (2), quia id quod primo et per se ab eius intellectu attingitur constituens obiectum formale et specificativum, est sola essentia divina; et nihil aliud potest esse obiectum formale intellectus divini — ergo ipsa sola primo et per se attingitur (3). Alioquin, si Deus aliud a se immediate intelligeret, « intellectus divinus mutaretur de consideratione sui in considerationem alterius » (4); « plures habebit intellectuales operationes » (5); « intellectus divinus esset in potentia respectu alicuius alterius » (6); « esset aliquid aliud perfectio divini intellectus et eo nobilius » (7);

(1) Lib. I, c. 48, n. II, p. 140.
(2) Ibid. c. 48.
(3) Ibid. p. 140, II.
(4) Ibid. p. 141, III.
(5) Ibid, p. 141, IV.
(6) Ibid. p. 141, IV.
(7) Ibid. p. 141, V.

« scientia Dei esset composita. Et sic Dei essentia esset composita, si scientia Dei est idem quod eius essentia; vel scientia erit accidens Deo [1]; in fine, intellectio Dei *speciem* et *nobilitatem* haberet secundum id quod est *aliud ab ipsa* » [2]. Consequenter ex tot rationibus a Ferrariensi expositis, manifeste apparet quod secundum illum Deus non per se primo, idest *non immediate* alia a se vel creaturas cognoscat sed tantummodo seipsum et nihil aliud. Quoad expressionem « primo et per se » notandum est id quod dicit Ferrariensis: « pro cuius intelligentia... duplex est modus quo aliquid dicitur *primo et per se* cognosci. Unus, ut cognoscatur tanquam *formale obiectum sub quo* omnia ad potentiam referantur... Alius modus est. ut cognoscatur *non per aliud cognitum* in quo cognoscatur (quod esset cognoscere mediate), sed ipsum secundum se (scilicet immediate) a potentia apprehendatur... » Et constat ex praedictis textibus quod nec primus modus, nec secundus verificatur in divina cognitione creaturarum, scilicet » [3]. Deus *immediate* vel secundum se nihil aliud quam suam essentiam videt.

Ex alia parte vero, sequitur quod Deus alia a se *mediate* cognoscat — scilicet *in sua essentia tamquam in causa* [4]. Probatur primo: « Deus cognoscit suam essentiam plenissime. Ergo cognoscit alia a se ». « Dicimur scire unumquodque cum causam eius cognoscimus. *Deus autem per essentiam suam est causa essendi aliis* »... [5]; probatur secundo, quia « causata a Deo sunt in ipso intelligibiliter [6]; tertio quia Deus cognoscit se esse causam. Ergo cognoscit aliqualiter causatum. Ergo alia a se » [7].

Ex his corollarium maximi momenti deducitur: « Deus seipsum cognoscit tanquam primo et per se notum, alia vero

(1) Lib. I, p. 141, IV, *Sexto*.

(2) Ibid. pag. 141, VII.

(3) Ibid. pag. 140, I.

(4) Ibid. c. 49.

(5) Ibid. p, 142, I.

(6) Ibid. p. 142, II.

(7) Ibid. p. 143, III.

sicut *in essentia sua visa* » ([1]). « Circa corollarium istud... considerandum est quod effectus divini, ut dicitur q. VIII, de Veritate, a. 4, non continentur in divina essentia sicut rerum imagines in speculo continentur... Sed continentur *sicut effectus in causa* per unicam virtutem omnia producente... Ideo cognoscere Deum res *in sua essentia* non est videre sicut in speculo... sed est videre eas *sicut in causa* » ([2]). In eodem loco Ferrariensis dicit quod Deum res alias intelligere *terminative* (in seipsis), intelligi non potest « ita quod *non videatur esse earum in alio cognito in quo* repraesententur (quod esset immediate cognoscere res). Et sic non intelligit eas Deus terminative: quia ad eas ut in seipsis sunt non terminatur nisi secundario et per divinam essentiam, in qua videntur tanquam per ipsam repraesentatae », ut superius dicitur, i. e. sicut effectus in causa.

Ex eodem principio Deus omnia distincte cognoscit, quia Deus est causa rerum non solum quantum ad esse sed etiam quantum *ad tale esse* ». Quia Deus omnes causas rerum quantum ad illud quo sunt causae, et ipsas esse talium rerum cauas, cognoscit, ideo ex cognitione causarum omnium res omnes *distincte* cognoscit » ([3]). « Dicitur quod ratio supponit *Deum esse causam rerum non tantum inquantum entia sunt, sed etiam inquantum talia entia* (Lib. II, c. XV) ([4]).

Insuper, « scientia autem Dei est causa rerum quantum ad esse et modum » ([5]) — ut longius infra videbimus. Ulterius autem adverte quod Deus cognoscit non solum esse rerum quod in sua essentia habent, sed etiam esse quod unumquodque in seipso habet, *et quidem perfectissime* ([6]). Ex his igitur clare constat Ferrariensem docuisse thesim thomisticam adhuc hodie sic propositam: Deus videt alia a se non immediate, sed mediate in sua essentia ut in causa. Hoc autem principium generale a theologis Societatis Iesu non admittitur. Ex illis

([1]) Lib. I. p. 143, II.
([2]) Ibid. p. 143, III.
([3]) Lib. I, c, 50, p. 145.
([4]) Ibid. p. 146, 5.
([5]) Lib. I, c. 67, p. 195.
([6]) Lib. I, c. 49, p. 143.

enim Vasquez tenet quod Deus cognoscit alia a se immediate tantum; alii vero sustinent Deum creaturas videre immediate et mediate [1]. Omnes igitur qui volunt scientiam mediam sustinere, contra istud principium a Ferrariensi ac ab omnibus thomistis expositum, ad inveniendum locum pro scientia media, insurgunt.

Secundum vero principium generale iuxta doctrinam Ferrariensis sic enuntiatur: Scientia Dei (scilicet scientia visionis, quia agitur de rebus per respectum ad tempus) est *causa rerum per determinationem suae divinae voluntatis* seu *per decretum divinum* et quidem *infallibile*. Legitur enim in libro secundo, c. 26 [2]:... « non obstante indeterminatione et illimitatione intellectus, adhuc Deus statuit sibi determinatos effectus quos producat, et hoc per libertatem suae voluntatis. Licet enim actus intellectus de re et modo producibili praecedat actum voluntatis ut sic, secundum nostrum modum intelligendi, *ipsa tamen ordinatio ad producendum est per actum voluntatis*. Hoc autem facile est videre in rerum artificialium productione. Primo enim domificator excogitat domum et *modum ipsius* ut est *producibilis*, iudicatque bonum esse ut producatur; deinde per voluntatem eligit domum producere; tertio. cognoscit intellectus ipsam debere produci, et dirigit per artem ipsam productionem. Simili modo imaginari possumus in Deo quod primo divinus intellectus *omnia producibilia* et *omnes modos producibilium cognoscit*, et iudicat bonum esse aliquos producere. Deinde voluntas *eligit* quosdam illorum producibilium producere et non alios. Tertio loco intellectus *cognoscit* ita hos effectus *debere produci* quod non alios. Et sic patet quod non oportet ponere aliquid aliud *praeter divinam voluntatem* quod scientiam divinam practicam ad determinatos effectus limitet ». Unde hoc vel illud habet esse in aliquo tempore dependenter a scientia divina supponendo actum divinae voluntatis seu decretum divinum. Praeterea Ferrariensis addit: « quod falsum est actum intellectus quo iudicat aliquid debere produci, sive

(1) Suarez, *de Attributis Dei positivis*, l. III, c. II, n. 16 etc. *de scientia Dei futurorum contingentium absolutorum*, l. II, c. VII, n. 15.

Wirceburgenses S. I. *de Deo*, disp. III, a. III, n. 117-137.

(2) Ferrar., loc. cit. p. 333.

quod producatur, praecedere actum voluntatis. *Immo sequitur voluntatis actionem et determinationem* » ([1]). In hoc igitur clare affirmatur quod scientia Dei sit causa rerum, sed ut habet voluntatem adiunctam seu per decretum divinae voluntatis.

Ulterius autem modus ipse rerum a decreto divino attingitur. Hoc declaratur in loco subsequenti: *Res procedunt in esse ex divina voluntate.* Ergo *tales* sunt *quales Deus eas esse voluit.* Ergo ex eo quod res a Deo producuntur *per voluntatem*, non per necessitatem naturae, non tollitur quin voluerit aliquas de *necessitate esse* et aliquas contingenter, ut sit in rebus diversitas ordinata » ([2]). Actus autem liberi, cum sint proprie contingentes a libero decreto divino vel a determinatione divinae voluntatis attinguntur et causantur. Ideo Ferrariensis dicit: « *Omnis* motus voluntatis (etiam motus liber) causatur a prima voluntate » ([3]). « Item (Deus) *determinavit* ut talis effectus necessario, talis vero contingenter eveniat, *et eius determinationem sequitur determinatio* omnium causarum: (etiam voluntatis liberae), quia videlicet effectus quos *determinavit* per istas causas evenire necessario, ipsae causae necessario producunt; illos vero quos *determinavit* per illas causas *contingenter et libere* evenire, ipsae causae efficiunt contingenter »([4]). Ergo iuxta Ferrariensem decretum divinum etiam modum rerum determinat, etiam modum liberum electionum salutarium.

Insuper autem ista determinatio (vel istud decretum) fit necessario necessitate immutabilitatis... qua dicitur effectus contingens evenire *necessario et infallibiliter*, supposito quod Deus velit illum evenire voluntate consequenti et voluntate completa ([5]). Agitur etiam de actibus liberis quia Ferrariensis dicit: « stat libertas secundae causae cum necessitate suppositionis primae causae » ([6]). Ex his igitur apparet quod, secundum Ferrariensem, res contingentes etiam actus liberi *a*

([1]) Lib. II, c. 26, p. 333; c. 24, p. 328.
([2]) Lib. II, c. 30, p. 340, Secundo.
([3]) Lib. III, c, 89, p. 273, quarto; c. 95, 4°, p. 297; c. 98, p. 305.
([4]) Lib. III, c. 89, VII, 2, p. 275.
([5]) Lib. III, c. 89, VII, 2, p. 275.
([6]) Lib. III, c. 89, VI in fine, p. 275.

determinatione infallibili divinae voluntatis causantur. Ceterum haec quaestio de decreto divino longius infra exponetur.

Hoc ergo sufficit ad probandum quod apud Ferrariensem inveniuntur haec duo principia: Deus *cognoscit alia a se mediate*, scilicet in sua essentia ut in causa; denique *scientia Dei est causa rerum* ut habet voluntatem adiunctam, scilicet *per decretum*. Atqui in his fundatur thesis thomistica de infallibili cognitione divina futurorum liberorum in divino decreto infallibili. Haec enim conclusio ex applicatione horum principiorum ad cognitionem futurorum contingentium facillime deducitur. Et ideo si ex una parte Deus alia à se videt in sua essentia *ut in causa*, ita videt etiam futura libera; ex altera parte vero si Deus per suum decretum res, etiam futura contingentia, causat, sequitur ex his principiis quod Deus futura contingentia libera in suo decreto infallibili infallibiliter cognoscat. Eapropter possumus dicere quod secundum principia doctrinae Ferrariensis seu *implicite*, Deus certitudinaliter cognoscit futura libera in suo decreto et quidem infallibili. Nunc autem oportet quaerere utrum Ferrariensis ipse applicationem suorum principiorum, quae supra exposuimus, faciat: aliis verbis utrum decretum divinum ut medium in quo cognitionis infallibilis divinae circa futura libera, a Ferrariensi *explicite* doceatur?

***

2° — Explicite autem in omnibus quaestionibus particularibus v. g. de cognitione divina circa singularia et quidem circa futura etiam libera, duo principia superius declarata a Ferrariensi semper applicantur. Deus enim singularia cognoscit « quia cognoscit alia in quantum est eis *causa* » ([1]); denique Deus cognoscit ea quae non sunt propter eamdem rationem: « Scientia Dei est sicut scientia artificis: *cum sit causa rerum*. Sed artifex ea quae nondum sunt artificiata cognoscit. *Ita pro Deo* » ([2]). Deinde in alio loco: « *Deus de rebus cognitionem habet per causam, dum, se cognoscendo, qui est omnium causa*, alia quasi suos effectus cognoscit. Quia effectus aliquis in sua

([1]) Lib. I, c. 65, p. 180, I.

([2]) Lib. I, c. 66, p. 186, II.

causa cognosci potest antequam sit » [1]. Notanda est universalitas propositionis: Deus omnia videt, se cognoscendo, qui est omnium causa — sine ulla exceptione — ergo futura etiam libera comprehenduntur, (ut videbimus postea); Deus cognoscit motus voluntatis « quia Deus, essentiam suam cognoscendo, *cognoscit omnia ad quae sua causalitas extenditur:* Omnis operatio cuiuscumque formae reducitur in primam causam omnis formae » [2]; ulterius vero Deus cognoscit infinita, « si infinita sint entia: cum sit causa omnium eorum quae sunt » [3]. Sed quoad cognitionem futurorum daturne eadem ratio? Utique. Legitur in libro I, cap. 67, ubi agitur de scientia futurorum [4]: « Sicut res apud nos sunt causa cognitionis, ita e contrario scientia Dei est causa rerum [5]. Sed necessaria interdum non modo necessario, sed probabili cognoscimus. Ergo *et contingentia* (ut sunt proprie futura libera) possunt esse cognita a Deo *et tamen scientia de ipsis necessaria haberi* ». Consequenter ex eo quod scientia Dei contingentia futura causet, Deus de illis scientiam infallibilem habet. Manifestum est igitur quod secundum Ferrariensem Deus cognoscat alia à se in sua essentia ut in causa. Ex hoc ergo sequitur Deum cognoscere singularia, ea quae non sunt, motus voluntatis, et etiam, cum aliqua necessitate, futura contingentia. Attamen aliqua affirmatio explicita de decreto divino ut medio in quo nondum habetur.

Iuxta Ferrariensem ipsum, scientia Dei de qua loquitur in hoc cap. 67 supponit vel sequitur actum divinae voluntatis seu decretum divinum. Ideo post rationem quartam Ferrariensis sic ait: « Si negaretur talium cognitio a Deo (i. e. cognitio necessaria futurorum contingentium), hoc maxime esset quia scientia Dei est causa rerum scitarum et est necessaria, a causa autem necessaria non provenit effectus contingens ». Circa hoc enim sunt duae difficultates, sive accipiatur scientia in ratione scientiae, sive in ratione causae. Scientia divina futurorum con-

(1) Ibid. V.

(2) Lib. I, c. 68, p. 189, II.

(3) Lib. I, c. 69, n. I, p. 202.

(4) Lib. I, c. 67, VII, *Quarto*, pag. 194.

(5) Idem principium invocatur in *Sexto*, XV, p. 196.

tingentium non est necessaria, neque ut scientia, neque ut causa: 1° neque ut scientia, quia « actus divinae voluntatis circa contingentia non est necessarius. Ergo nec actus divinae cognitionis »; 2° neque ut causa, quia, si scientia Dei sit causa necessaria, eius effectus non potest esse quin eveniat et propter hoc — non esset contingens —. « Et sic non stat contingentia effectus cum necessitate scientiae divinae » ([1]). Ad hanc duplicem difficultatem Ferrariensis, explicando in quonam sensu scientia Dei sit necessaria, respondet. Agitur enim in hac quaestione de scientia visionis necessaria, non necessitate absoluta, sed *necessitate immutabilitatis vel suppositionis*, scilicet supposito actu vel decreto divinae voluntatis. « Considerandum primo, quod hic non loquimur de scientia quantum ad entitatem eius... est entitas necessaria; sed loquimur de ipsa secundum quod dicit ordinem ad scitum contingens; sive sit ordo scientiae inquantum scientia est, ad ipsum scitum, ut est scitum; sive sit ordo scientiae, ut est causa, ad scitum inquantum est effectus eius. *Et loquimur de scientia visionis;* non autem de scientia simplicis intelligentiae, quam constat secundum rationem praecedere actum voluntatis, et necessariam omnino esse ut dicitur in Prima, q. XIX » ([2]). E contrario igitur *scientia visionis non praecedit, sed supponit et sequitur actum divinae voluntatis*, et consequenter non est omnino necessaria. Atqui, ut dicitur in capite praecedenti, ea quae sunt praesentia, vel praeterita, vel futura, « cognoscuntur ut existentia in potentia sua, in propriis causis, et in seipsis: et dicuntur cognosci notitia visionis » ([3]). Unde futura cognoscuntur a scientia visionis, quae non praecedit, sed sequitur actum divinae voluntatis vel decretum divinum. Ferrariensis in eodem loco ait: « *scientia enim visionis sequitur determinationem divinae voluntatis* ([4]). Quid clariuus? Hoc est explicite dicere quod scientia visionis, a qua futura contingentia cognoscuntur, decretum seu determinationem divinae voluntatis supponit.

Ulterius vero haec scientia visionis est necessaria *necessi-*

([1]) Lib. I c. 67, III, *Quinto*.
([2]) Lib. I, c. 67, p. 194, IX.
([3]) Lib. I, c. 66, p. 189, XV.
([4]) Ibid. c. 67, n. IX, p. 194.

tate immutabilitatis. Etenim « si loquamur de absoluta necessitate, sic non est necessaria; quia illud dicitur absolute necessarium cui repugnat, absolute loquendo, aliter esse... Quidquid autem Deus scit scientia visionis, non repugnat absolute Deum nescire; quia, sicut ab aeterno *determinavit* illud fore, puta Antichristum, ita ab aeterno potuit determinare Antichristum non fore ». Notandum est quod *dependentia ultima* scientiae visionis a determinatione divinae voluntatis, vel a decreto aeterno, clarius declarari non possit: *Absolute loquendo* non repugnat Deum nescire Antichristum quia *potuit ab aeterno determinare eum fore vel non fore*. Et ideo Ferrariensis subdit: « cum ad esse creaturae volendum non necessitetur, et ideo sicut ab aeterno cognovit ipsum, ita potuit ab aeterno cognovisse ipsum non fore; *scientia enim visionis sequitur determinationem divinae voluntatis* » (1). Ex his expressis verbis manifeste apparet quod Deus ab aeterno aliquid fore cognoscat propter determinationem suae divinae voluntatis vel propter suum decretum et quidem infallibile seu non impedibile. « Si autem loquamur de necessitate immutabilitatis, sic est necessaria quia quod ab aeterno scivit fore, semper scit: et non potest mutari, ut prius sciat et postmodum nesciat, sicut accidit scientiae nostrae » (2).

Quid autem docet Ferrariensis quoad necessitatem scientiae Dei *ratione causae?* Dicit: « Utroque modo scientia divina est causa necessaria rerum scitarum: et quia scilicet non potest non esse; et quia *non potest impediri quin effectus divinae scientiae eveniat, secundum modum quo statutum est per illam ut eveniat* » (3). Prosequimur. « Scientia autem Dei est causa rerum quantum *ad esse et modum*. Ideo non potest esse quin effectus ille *eveniat necessario* qui est in scientia Dei ut eveniat necessario; et non potest esse *quin contingenter eveniat* effectus qui in scientia Dei est ut contingenter eveniat ». Proinde, cum haec propositio sit universalis, *ad modum liberum* actuum humanorum sese extendit: nam actus liber est proprie

(1) Ibid.
(2) Ibid.
(3) Lib. I, c. 67, p. 195, XI.

et stricte contingens, scilicet indifferens ad utrumlibet, ad esse vel ad non esse. Insuper, secundum intentionem Ferrariensis, futura et etiam libera sub ista propositione comprehenduntur quia agitur praecise in hoc capitulo 67 de cognitione futurorum contingentium et quidem liberorum.

Atqui haec necessitas scientiae visionis *in ratione causae* est *necessitas suppositionis* vel *immutabilitatis*, quia scientia visionis sequitur determinationem divinae voluntatis seu decretum divinum, quod est necessarium eodem modo. « Cum sit duplex necessarium, scilicet absolute necessarium, et ex suppositione ac etiam immutabilitatis necessitate, non sic intelligitur divinam scientiam esse in se necessariam ex parte causae et ex parte dependentiae effectus, quasi in illis sit necessitas absoluta. Hoc enim non est verum, ad mentem Sancti Thomae: cum apud ipsum scientia visionis potuerit non esse ab aeterno sicut et Deus potuit ab aeterno *non determinasse* creaturarum productionem, similiter, et effectus libere ab ipsa proveniant, cum potuerit Deus ab aeterno *determinare* ut non evenirent. Sed intelligitur de necessitate suppositionis et immutabilitatis. *Supposito enim quod in scientia Dei sit ut ille effectus eveniat, non poterit impediri quin eveniat* ». Haec autem infallibilitas a decreto divino provenit: « Cum primo improbatur quod necessitatem non habeat in ratione scientiae: respondetur quod *actus divinae voluntatis* circa contingentia, licet non sit necessarius absolute, est tamen necessarius necessitate immutabilitatis, quo modo diximus scientiam visionis esse necessariam » (1), sc. supposito quod Deus vult aliquid non impediri, et de facto evenire. « Scientia enim visionis (etiam de futuris contingentibus) sequitur determinationem divinae voluntatis » vel decretum divinum; propter hoc scientia visionis de futuris etiam liberis infallibilitatem vel necessitatem suppositionis habet, quia decretum divinum, ex quo ipsa procedit, infallibilitatem vel necessitatem suppositionis habet. Consequenter et in ultima analysi, medium in quo divinae cognitionis infallibilis futurorum liberorum nihil aliud est, secundum Ferrariensem, quam decretum divinum et quidem infallibile.

(1) Lib. I. c. 67, p. 195.

Ergo ex tot testibus de opere Ferrariensis depromptis, certe constat illum de hac re thesim hodiernam thomisticam docuisse: 1°. *Implicite* ex suis principiis generalibus: Deus *alia a se* cognoscit, non immediate, sed *mediate in sua essentia ut in causa*; denique *scientia Dei est causa rerum ut habet voluntatem adiunctam* vel *per decretum divinum*. Unde sequitur Deum res etiam futura contingentia et libera in suo decreto cognoscere; 2°. *Explicite*, in libro primo, cap. 67, ubi agitur de cognitione futurorum contingentium et *liberorum*, affirmatur quod de illis scientia Dei est necessaria necessitate suppositionis, et certissime infallibilis est, scilicet non potest mutari, quia « scientia visionis », de qua loquimur, « *sequitur determinationem divinae voluntatis* » vel decretum divinum et quidem infallibile, nam dicitur actus divinae voluntatis circa contingentia, licet non sit necessarius absolute, est tamen necessarius necessitate immutabilitatis — sc. non potest variari et impediri, nempe infallibilis est.

Canada.

P. Benedictus Mailloux O. P.